

baptismo spiritualiter renascitur homo, & membrum Christi efficitur, de consecr. distin. 9. c. quia passus, circa fin. & de consecr. dist. 4. c. ad hoc. Item nullus potest saluari si contemnit baptismum. 15. q. 1. c. firmissime. Item quia recedente fictione, baptismus suum effectum consequitur, ista est communis sententia in c. tunc valet, de consecr. dist. 7. & sic rati habitio retrahitur, vt dicit glo. in d. 7. c. tunc valere. Item baptismus ¶ competit cuiunque sine distinctione sexus, vel ætatis, & sic Sacramentum est uniuersale, quod quidem non erat Circuncisio, quæ erat sacramentum particulare, quod dabatur tantum uiris, & non mulieribus, c. maiores, extra de baptisif. Circuncisio erat Sacramentum laboriosum, quia inferebat dolorem, sed baptismus infertur sine dolore. Præterea baptismus imprimi characterem incorporantem hominem Deo, siue Christo, quod non facit Circuncisio. Item per Circuncisionem tollebat peccatum, & euitabatur damnationis periculum. Sed per istam non poterant peruenire ad regnum cælestē, sed baptismus inducit remissionem peccatorum, tollit damnationis periculum, & aperit regnum cælestē, ita vt si infidelis adultus hodie baptizaretur, & illico decederet, non sentiret pœnam purgatorii, ut est text. Aug. norab. in cap. nullus, de pœnit. distinct. 7. ita no. in d. c. maiores. Rursum, effectus baptismi, sci licet regeneratio ¶ hominis in uitam æternam est æquæ in omnibus, qui se habent æqualiter ad baptismum, vt in paruulis. Adulti uero quia quidam cum maiori de uotione ad baptismum accedunt, ideo quidam plus, quidam minus de gratia uocationis accipiunt. Sed effectus baptismi de extinctione concupiscentiæ carnis, qui est per accidens, non suscipitur æqualiter à baptizatis, etiam si cum æquali de uotione accedant: sed dispensatur huiusmodi effectus, secundum ordinem diuinæ prouidentię: nondum enim hoc praestatur in baptismo nisi forte hoc miraculo ineffabili Creatoris, vt dicit tex. in c. 2. de

consecr. dist. 4. & ibi glo. in uerbo miraculo. Vnde etiam glo. ibi, in uerbo, euacuatur ¶ dicit, quod quadruplex est pœna originalis peccati. Præterea dicit ianuam cælestem, perpetuo dānat, causa est mortis temporalis, & impotentia resistenti uitæ. Baptismus tollit prima duo, & ultimum, quia adiuuante Deo potest quis resistere. Quod ideo factum est, vt talis colluctatio non solum non obstit, sed etiā proficit: quia ubi maior pugna, ibi maior corona, de pœnit. dist. 3. cap. ille rex. non autem baptismus tollit tertium. Item baptisimus ¶ à quocunque collatus, siue per bonū, siue per malum, non reiteratur, sicut tex. in c. si inter, c. baptismus, c. non est aqua, de consecr. dist. 4. Baptismus enim non est ministri cōferentis, sed Christi, d. c. baptismus. Et hoc est uerum, si ipse intendit facere hoc, quod facere intendit Ecclesia: & si profert debitam formam uerborum, & immergat puerum tempore necessitatis. Quare autem baptismus ¶ non reiteretur, assignantur multa rationes à Doctōribus: quarum prima est, ratione morbi, quem curat baptismus, scilicet peccati originalis, quod quemadmodum ¶ non reiteratur, sic neque baptismus. Vnde dicitur ad Rom. 6. Sicut per unius delictū in omnes homines per condemnationem, sic per unius iustitiam in omnes homines in iustificationem uitæ. Secunda: quia character, qui ibi imprimitur, indelebilis est, sicut in Confirmatione, & Ordine, & cum quadā consecratione datur, & ideo si uelut consecrationes nō reiterantur in Ecclesia, sic nec baptismus. Tertia: quia per baptismum fit uniuersalis purgatio peccatorum, quæ si iterari posset, daretur hominibus incertium peccandi. Quarta, quia talis est institutio diuina, vt perfectam uicam haberet efficaciam baptismus, & semel tantum fieret. Si ergo sit secundo, nihil sit in anima, & ita cassatur Sacramentum scienter. ¶ & ideo dicit Bonau. quod iterans ¶ baptismi nihil facit omnino, & magis peccat quā ille, qui sicet accedit: quia facit contra ordinationem diuinam, facit contra